



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1709. usque ad annum 1714

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1782

VD18 90119266

§. 99. Nova Quesnellistarum molimina.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67615](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-67615)

Sæc. XVIII. „jure excidant, atque etiam pœnas cor-
A. C. 1712. „pore luant, si secus faxint. Deinde
 „præcepit, ut postulante procuratore
 „Regio Generali inquiratur coram Ma-
 „gistro Antonio Castagnere Senatore
 „in eos, qui hunc libellum typis man-
 „darunt, vendiderunt, aut alia ratione
 „distribuerunt, atque insuper ut Sena-
 „tus Decretum datum 3. Febr. proxi-
 „me elapsi de libris, scriptis, Libellis, sine
 „Auctoris aut Typographi Nomine,
 „sine Regis Privilegio, aut Urbanorum
 „Magistratum facultate editis, vim
 „suam omnem obtineat. Et hoc præ-
 „sens Senatus consultum legatur, pro-
 „mulgetur, affigatur, ubicunque opus
 „fuerit. „

§. XCIX.

Nova Quesnelistarum molimina.

Dorsanne
Journ. t. I.
pag. 38.
Hode Hist.
de Louis
XIV. l. 63.
pag. 241.

Quamvis Quesnelistæ tot sua strata
 gemata in irritum cecidisse cer-
 nerent, nondum tamen exhaustis frau-
 dum suarum fontibus ad omnes intenti-
 erant casus, quibus Romanæ Curie
 persuadere possent, Pontificis Consti-
 tutionem contra Quesnellum edendam
 in Galliis minime receptum iri: per-
 opportuna eis acciderat controversia
 Parlamenti Parisiensis cum Jesuitis:
 cum enim P. Josephus Jouvencius in
 con-

continuata sua Societatis Historia Jesuitas Sæc. XVIII.
 ob Joannis Castelli Regicidium e Galliis A. C 1712.
 expulsos & P. Guinardum laqueo in-
 iuste suspensum, Patris Suaresii librum
 perperam fuisse damnatum, verbis ei-
 dem Parlamento summopere injuriis,
 ac societati oppido propitiis retulisset,
 Parlamentum præfatam Historiam non
 modo duplici edicto die vigesima quarta
 Martii suppressit, sed etiam Provincia-
 lem & trium Collegiorum Parisiensium
 Superiores, ut hujus Historiæ Aucto-
 rem pro culpæ debito punirent, com-
 parere jussit, eosque obstrinxit, ut qua-
 tuor Cleri Gallicani propositionum do-
 ctrinam profiterentur: Paruere Jesuitæ,
 ac coram Parlamento declararunt, fa-
 teri se, quod ex calamo hujus Autho-
 ris effluerint verba in reprobum sen-
 sum tendentia ac Regicidio propitia,
 ac hujus criminis Authores iuste dam-
 natos excusaverit vel eorum culpam di-
 minuerit, suspicionemque moverit,
 perinde ac si detestandam hanc doctri-
 nam approbet: quinimo etiam ea, quæ
 Anno 1594. & 1595. contigere, descri-
 bendo regionum edictorum æquitatem,
 eorumque, qui hæc decreta ediderunt,
 famam læserit, dum accusatos velut
 innocentes, & Judices tanquam ini-
 quos depingat: His expositis Jesuitæ
 palam profitebantur, se legibus, prin-
 cipiis,

D d 5

cipiis,

Sæc. XVIII.
A. C. 1712

cipiis, Regniq̄ue doctrinæ circa Regiæ potestatis jura inviolabili fide adherere, ac palam profiteri, quod Regiæ potestas a nulla alia in terris potestate nec directe nec indirecte abhæreat. Hac declaratione placatus Rex, Advocato generali præcepit, ut hujus libri suppressioni superfederet: Inde vero Pontifex tantam conceperat indignationem, ut mox Societatis Generalem adesse juberet, eique prohiberet, ne quempiam ex illis Jesuitis qui præfatam declarationem Parlamento exhibuerunt, suoque chirographo firmarunt, ad ullum officium deinceps admitteret. Hoc comperto Quesneli Parlamento mandata, Jesuitarum submissionem, & Regis dissimulationem pro manifesto jactabant augurio, in Galliis nullam Pontificis haberi rationem, ejusque Constitutionem, si quam promulgare tentaret, nullo pacto acceptatum, sed potius ab omnibus impugnatum iri: nec sua eos prorsus fœlita opinio; Pontifex enim re comperta ad edenda Constitutione desistere statuerat, ne suam decisionem Regiæ Senatus oppositioni & Quesnelistarum ludibrio exponeret: id quoque sæpius Tremolio Cardinali manifestabat, Regis tamen literis, quæ plenam submissionem pollicebantur, rursus erigebatur

tur: haud diu tamen a metu liber e-
 rat Pontifex: postquam enim Abbas Sæc. XVIII.
A. C. 1712.
 San - Agnensis ad Bellovacensem Epi-
 scopatum a Rege nominatus, electio-
 nis suæ confirmationem a Papa pete-
 ret, Quesnelistæ Gallicam inter & Pon-
 tificiam Aulam dissidia seminare in-
 tenti, summo Pontifici insufurrabant,
 hunc Episcopum non ita pridem qua-
 tuor proscriptos Cleri Gallicani articu-
 los palam in Sorbonæ Aula propug-
 nasse, eumque Jansenii fautorem, Se-
 disque Apostolicæ hostem esse: Hac
 calumnia tantum effecere, ut Ponti-
 fex huic Episcopo confirmationis di-
 ploma conferre negaret, non sine ma-
 ximo Quesnelistarum applausu: Atta-
 men parum diutina existit eorum ex-
 ultatio; Pontifex enim hunc Episco-
 pum nonnisi unicum propositionem jussu
 Regis ad evitanda majora dissidia pro-
 pugnavisse edoctus, petitas literas nulla
 mora expediri jussit, simulque ex hac
 agendi ratione probe cognovit, Ques-
 nelistarum consilia unice eo collimare,
 ut concitatis Papam inter & Regem
 dissidiis decisivis Apostolicæ consilium
 everterent, quapropter omnes eorum
 motus, gressusque deinceps circum-
 specte velut e specula observabat, &
 magis magisque indies in concepto pro-
 mulgandæ Constitutionis proposito fir-
 mabatur.

§. XCIX.